DE
SENARII GRAECI CAESURIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

IN

ACADEMIA ALBERTINA ORDINIS

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVI. M. JULII A. MDCCCLVIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

F. R. ED. PREUSS.

S. S. THEOLOGIAE LICENTIATUS.

REGIOMONTANUS.

37

ADVERSARIORUM PARTES TUEBUNTUR:

E. F. FRIEDRICH, DR. PHIL.
A. SCHWARZ, SEM. PHIL. SODALIS.

REGIOMONTI PR.

TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

[1858]

Quamquam de caesuris ex antiquissimis temporibus multa disputata sunt, novi vix aliquid prolatum esse videtur, ex quo Hermannus elementa doctrinae metricae scripsit. Sic autem statuit *):

„Caesura sive incisio, quam τομήν Graeci vocant, is locus in versu dicitur, quo ordo aliquis finitur. Unde proprie tot caesuras habet versus, quot in ipso versu ordines finiuntur ..... unde caesura distinctius dicetur finis ordinis metrici conjunctus cum fine ordinis in vocabulis. Et quum ordines, qui sunt in vocabulis, nusquam certius finiantur, quam cum fine ipso vocabulorum, caesura censetur finiendo vocabulo in ipso fine ordinis metrici. Unde quum caesuram neglectam esse dicimus, hoc significamus, non esse cum metrico ordine finitum vocabulum........ Sunt qui caesurae nomine sic utantur, ut verborum in mediis pedibus finem intelligant. quae nobis non satis accommodata appellatio videtur esse.“

Porro de senarii caesuris sic censet **):
„tragici senarii legitima caesura .... πενθημιμερής a grammaticis vocatur .... Existimamus, hunc versum natura sua plures admittere caesuras, quarum eas, ex quibus ordines vel nimis aequales vel inepte inaequales pro-

*) element. doctr. metr. Lips. 1816 lib. I. cap. 8. p. 32. sqq.
**) idem loco laud. p. 106. sqq.

dituri essent, raro, nec nisi aut certa de causa, aut etiam negligentia quadam usurpatas esse; interdum autem, quod ipsum incuriae tribuendum videtur, omnem neglectam esse caesuram, quod in tam brevi versu, si raro fiat, non habet magnam offensionem ..... Iniucunda incisio est in hoc: *γυναιξὶ παρθένοις τ᾽* | *ἀποβλεπτὸς μέτα.* .... nam in duas aequales partes dividitur versus eaque re omnis tollitur varietas .... Quamobrem ita statuemus, legitimam esse caesuram eam, quae est in medio pede tertio; saepe autem etiam illam, quae *ἑφθημιμερὴς* vocatur, usurpari, ... praeterea vero nunc omnem caesuram negligi, nunc alias quam *πενθημιμερῆ* atque *ἑφθημιμερῆ* usurpari .. ut

⏑ –″ ⏑ –′ ⏑ –″ ⏑ –′ ⏑ | –″ ⏑ –′ ; ⏑ –″ ⏑ –′ ⏑ –″ ⏑ –′ | ⏑ –″ ⏑ –′

⏑ –″ ⏑ –′ ⏑ –″ ⏑ –′ ⏑ –″ | ⏑ –′ ; ⏑ –″ ⏑ –′ ⏑ –″ | ⏑ –′ ⏑ –″ ⏑ –′ ;

denique saepe etiam plures in uno versu caesuras esse."

Haec est Hermanni sententia de tragici senarii caesuris. De caesuris senarii comici nil profert, nisi paucula haecce *):

„.. senarius comicus caesuram in medio pede tertio multo saepius quam tragicus trimeter negligit."

Qui hanc Hermanni sententiam accurate perlegit, eam non sufficere videt.

Rossbachius **) universam Hermanni doctrinam metricam valde correxit. Quamquam enim Hermannum v. cl. optime de re metrica meruisse, non ignoramus, Rossbachius, Boeckhium secutus, nova universae doctrinae principia admodum stabilivit. Hermannus ab aequalitate temporum initium cepit. Duo tempora esse statuit, arsin et thesin. syllabam longam semper duas moras habere dixit, syllabam correptam unam. pausas esse negavit. Artem musicam minus spectavit. Omnino schemata versuum oculis magis quam auribus iudicavit. ergo versuum externam potius formam quam internam structuram respexit.

*) idem loco laud. p. 126.

**) Griech. Rhythmik. Leipz. 1854. Griech. Metrik 1856.

Rossbachius et rhythmicam et musicam artem ad metra iudicanda adhibuit. schemata auribus iudicavit. omnino ita de re metrica egit, ut versuum natura et indoles appareret. pausas esse agnovit. rhythmum semper spectavit. de universa doctrina metrica bene meritus est. Eo magis dolemus, quod quoad res graviores cum eo non consentimus. Rossbachius, Boekhium v. cl. secutus, veteribus et rei musicae et rhythmicae scriptoribus nititur, quorum quidem doctrinam maxima et sagacitate et diligentia exponit. Id quod nos non probamus. veterum enim doctrina primum obscurior est, quam ut inde certa de rhythmis sententia hauriatur. deinde a nostro usu nostrisque sensibus nimis remota. denique nostra doctrina musica est perfectior antiqua. quae quum ita sint, a Rossbachio v. cl. dissentimus. Cur dissentiamus, hoc loco exponi non licet. Accuratius enim solummodo de una rei metricae parte agamus: de senarii caesuris.

Quid Rossbachius omnino de incisionibus censeat, ex duobus libri locis elucet *). de universa incisionis natura nusquam certa proponit.

De caesura hexametri dactylici talia profert:
p. 16. „Die Normalform des Hexameters ist also diejenige, in welcher zugleich eine Cäsur im dritten und im vierten Fusse gewahrt ist.“ p. 18. „Doch versteht es sich von selbst, dass nach jeder Sylbe des Hexameters ein Wortende eintreten und daher an jeder Stelle des Verses eine Cäsur vorkommen kann.“ p. 20. „an einer Cäsur vor der letzten Sylbe des Verses nehmen die Griechen keinen Anstoss.“

De caesura trimetri ita statuit:
p. 185. „Bei der dritten Arsis geschieht das Hervortreten durch eine ihr unmittelbar vorhergehende Cäsur (Penthemimeres). Tritt die Cäsur an dieser Stelle nicht ein, so folgt sie nach der dritten Arsis, jedoch nicht unmittelbar, da der Vers hierdurch in zwei gleiche Hälften zerschnitten würde, sondern erst nach der nächsten Thesis. (Hephthemimeres) ..... Von bei-

*) Griechische Metrik p. 13—20, p. 185—187.

den Cäsuren ist die Penthemimeres die häufigere, die Hephthemimeres die seltenere ..... Bisweilen sind auch beide in demselben Verse verbundeu, doch ist dies keineswegs die Normalform und der Trimeter unterscheidet sich hierin von dem Hexameter, in welchem sich meist eine Cäsur zugleich vor und nach der zweiten Hauptarsis des Verses findet. Eine Cäsur am Ende der ersten Dipodie fällt mit dem Ende des ersten rhythmischen Gliedes zusammen, eine solche Uebereinstimmung von rhythmischen Füssen und Wortfüssen aber würde dem dialogischen Vortrage, der nur durch eine gewisse Freiheit des Metrums vor Monotonie bewahrt bleibt, nicht zusagen; und deshalb wird jene Cäsur namentlich bei Tragikern und Jambographen nur in beschränktem Umfange zugelassen. Gewöhnlich ist sie durch eine zugleich vorkommende Penthemimeres oder Hephthemimeres verdeckt .... Viel seltener sind die Fälle, wo sie Hauptcäsur des Verses ist, und die rhythmische Bedeutung der Hephthemimeres oder Penthemimeres hat. Noch mehr wird die Cäsur unmittelbar nach der dritten Arsis (in der Mitte des Verses) vermieden, da hierdurch der Trimeter eine arrhythmische Gliederung erhält *). Kommt zugleich mit ihr die Penthemimeres oder Hephthemimeres oder statt deren die Cäsur am Ende der ersten Dipodie vor, so hat sie natürlich ebenso wenig etwas auffallendes, wie im Hexameter die Cäsur nach Ende des dritten Fusses, wenn sich mit dieser zugleich die Hephthemimeres oder *τομὴ κατὰ τρίτον τροχαῖον* verbindet; auch da wird sie durch die Hephthemimeres und Penthemimeres verdeckt, wo diese durch den Sinn des Verses oder durch Interpunktion vor ihr zurücktreten. Antig. 307. *εὑρόντες ἐκφανεῖτ᾽ — ἐς — ὀφθαλμοὺς ἐμούς.* 555. *σὺ*

*) Rossb. p. 186. Anm. 11. „Mar. Vict. 2525. Denn ein *ὀκτωκαιδεκάσημον μέγεθος* kann nach den Rhythmikern nicht in zwei gleiche Hälften zerlegt werden, da so eine daktyl. Gliederung entstehen würde. Pers. 465. *Ξέρξης δ᾽ ἀνῴμωξεν — κακῶν ὁρῶν βάθος* all., wo nach G. Hermanns Bemerkung die Arrhythmie absichtlich gewählt ist, um den Inhalt malend hervorzuheben.“

μὲν γὰρ εἵλου — ζῆν —, ἐγὼ δὲ κατθανεῖν. Pers. 251. *ὥς ᾿εν μιᾷ — πληγῇ — κατέφθαρται πολὺς.* Aesch. suppl. 402. *ἐπήλυδας — τιμῶν, — ἀπώλεσας πόλιν.*

p. 187. ..... Während die dritte Arsis gewöhnlich durch die Hephthemimeres von den vorausgehenden Sylben abgetrennt ist, wird eine analoge Abtrennung der fünften Arsis nur in beschränkter Weise zugelassen. Eine Cäsur vor der fünften Arsis kann nämlich überall da eintreten, wo ihr eine Kürze vorausgeht; bei vorausgehender langen Thesis aber nur dann, wenn auch diese durch Cäsur von der vorhergehenden Arsis abgesondert ist, während da, wo diese mit der vierten Arsis Ein Wort bildet, die Cäsur vor der fünften Arsis nicht eintreten kann. Nur die Komiker lassen dies Gesetz unbeachtet, die Jambographen gestatten sich niemals und die Tragiker nur selten eine Ausnahme."


Nos ab his paene omnibus dissentimus. Primum minus probamus, quod Rossbachius caesurae vim et naturam non certis descripsit. Nunc a G. Hermanni partibus stare videtur, nunc aliter censere. Caesurae vis ea est, quam rhythmico-musicam voces. est membrorum distinctio, quae auribus placeat. Rossbachius id aut non concessit aut certe non tenuit. Inde in duos errores cecidit. primum inter caesuram et diaeresin non satis discernit. duas caesuras in uno versu inesse posse contendit. deinde sentit, ni fallor, ubicunque verbum finiatur ibi esse caesuram. nunc hanc sententiam tenere, nunc videtur minus probare. quid proprie censeat, non prorsus videmus. Praeterea vero aliud etiam a Rossbachio discedo. Rossbachius de caesura senarii complura proposuit quae tamen fundamenta satis certa non habent. Fundamenta autem doctrinae neque in veterum virorum doctorum neque in recentiorum sententiis posita sunt. sed solis in poëtarum veterum libris. propterea quemque, qui de senarii caesuris disserere velit, poëtarum usum prius accuratissime observasse oportet. Rossbachius minus proprias observationes proponit quam aliorum colit. Id quod ei opprobrio esse nolimus. Qui enim et universa de doctrina metrica disserit, et antiquorum systemata tam di-


ligenter exhaurit, — de omnibus singulis quaerere nequit. Investigandi labores multis subeundi sunt. unius viri vires minus sufficiunt. Quod autem Rossbachius poëtarum usum minus accurate respexit, inde errores exsistunt. quorum quidem gravissimus in eo spectatur, quod iambicas incisiones legitimas esse negavit. Quamquam non ignoramus, virum clarissimum hic cum Porsono et cum Hermanno errare De iambicis senarii caesuris omnino nova non profert. Quia non profert, certi nihil proponit. et enim Porsoni et Hermanni de iis doctrinae arbitrio magis quam usui indulgere videntur. De tragici trimetri distinctionibus iambicis ea, quae iam proposita erant, recolit. De comici senarii caesuris iambicis nihil praebet. Singulas incisiones iambicas accuratius non spectat.

Sed haec sibi habeant.

Nos ante hos quinque annos cum de universa re metrica tum de caesuris altius edocti sumus. Lehrsius enim vir clarissimus, Regiomontanus, professor publicus ordinarius, cuius scholis adfuimus, doctrinam novam et satis stabilitam munivit. Quam quidem ut primo statim aspectu accepimus, ita, propria data opera probari videmus. Posteaquam ter singulis de poëtarum veterum fabulis quaesivimus, nunc longiore interposito tempore, doctrinam nostram maiore fabulorum numero tentare conamur. — Ita aute magamus, ut prae ceteris caesurae vim describamus. deinde quae ex ea ad senarium redundent, monstremus. Senarii incisiones quae et quales sint exponamus. in hunc modum sententiam nostram primum proponemus. post probabimus. Aeschyli, Sophoclis, Aristophanis usum observavimus. observationes fusius expositae demonstrabunt, qua via ad sententiam nostram venerimus.

Si simplex rhythmica motio progreditur, usque dum in se ipsa finiatur, versus exsistit. Versus est corpus. idque minimum quod rhythmo creatur. Ut autem corpus ita versus ex membris consistit. membra per caesuram distinguuntur. non sic tamen ea distingui existimamus, ut separentur. verum potius singula membra incisione non minus coniunguntur quam separantur. Ne censeas, versus membra eadem esse et pedes.

siquidem rhythmus cum metro non omnino convenit. Veluti versus dactylicus, quem heroïcum vocant, non sex ex aequalibus membris consistit () sed duobus ex membris



quae nos dicimus: organische Glieder. Caesura versum duas in partes distinguit per se bene sonantes et sibi invicem respondentes. altera pars quasi unda magno cum sonitu surgit, dein altera de cacumine in aequor descendit. Id si tenemus, nobis in mentem non venit putare, sex unum versum habere posse caesuras. unusquisque versus una caesura utitur. non potest fieri, ut plures in eo insint. Caesura non oculis sed auribus est iudicanda. Oculi patiuntur, hexametrum et in tertio pede incidi et in quarto. Aures non ferunt. Coneris sic eum legere ut locis duobus eodem modo subsistas. Si vox in uno versu bis aequaliter surgit, rhythmum dispellit. Attamen saepenumero in versu uno complura verba finiuntur. Tales distributiones quae praeter unam caesuram in versu cernuntur, *διαιρέσεις* vocamus. multum autem ab incisione differunt. Incisio versus membra distinguit. diaereses horum membrorum ipsorum particulas faciunt. incisio declamationi inservit, diaereses versus gradum designant. Histrionis voci in verbo quod caesuram antecedit, surgendum erit, diaereses minus spectandae. Caveas igitur ne diaereses cum caesura commisceas.


Caesura versus membra distinguit, h. e. ita disponit ut altera pars rhythmi alteri bene respondeat. inde elucet, singulas partes inepte inaequales esse non posse. Universe tenemus, alteram partem duplici magnitudine alteram superare. ultra non licet. Aequalia membra esse possunt. Duos inter hos terminos maxima relationis varietas patet. Porro tenemus versum caesura carentem esse non posse. nisi si aut tam brevis est, ut duo membra non habeat, aut certo consilio compositus est, ut risum moveret. Ut oculi imaginem nonnisi singulis ex partibus conspicere possunt, ita aures versum non

ferunt nisi singula eius membra audiunt. imago hominis membris destituti, offendit Versus cuius membra in unum contracta sunt non minus offendit. Ergo versum caesura carere non contendemus, nisi certum poetae consilium manifesto apparet. Scio, recentiores, quando caesura versus displiceat, dictitare, carere versum caesura. hoc minus probamus. verum censemus, qui Antigonem aut aliam veterum fabulam legat, ne semel quidem incisionem omittere posse. Qui oculis diiudicarit, versum caesura destitutum esse, facile dicet. Qui versum caesura carentem legere audeat, aliter statuet. —

Quod ad senarii incisiones attinet, ita censemus:

Senarius, sive trimeter iambicus acatalectus, ita compositus est, ut sex iambis utatur:

◡ ″— ◡ ′— ◡ ″— ◡ ′— ◡ ″— ◡ ′—

hoc est 

de pedum varietate hoc loco non est agendum. de caesura agamus. Per se quinque caesurae esse posse videntur.

1. ◡ ″— ◡ ′— | ◡ ″— ◡ ′— ◡ ″— ◡ ′— tertiariam primam vocamus.

2. ◡ ″— ◡ ′— ◡ ″— | ◡ ′— ◡ ″— ◡ ′— caesuram mediam vocamus.

3. ◡ ″— ◡ ′— ◡ ″— ◡ ′— | ◡ ″— ◡ ′— tertiariam secundam appellamus.

4. ◡ ″— ◡ ′— ◡ | ″— ◡ ′— ◡ ″— ◡ ′— penthemimeren vocant.

5. ◡ ″— ◡ ′— ◡ ″— ◡ | ′— ◡ ″— ◡ ′— hephthemimeren vocant.

restat sexta caesura, quae iam primo aspectu displiceat:

◡ ″— ◡ ′— | ◡ ″— ◡ ′— | ◡ ″— ◡ ′— tertiariam duplicem vocamus, quasicaesuram (ut cum Porsono loquamur) magis quam incisionem.

quaeritur, num hae quinque caesurae per se bene audiantur, deinde, num a poëtis usurpatae sint.

Fieri potest, ut duabus rationibus has caesuras distribuamus. aut ita ut inter trochaïcas et inter iambicas discernamus.

duae trochaïcae sunt: penthemimeres, hephthemimeres. tres iambicae: tertiaria prima, caesura media, tertiaria secunda. aut ita, ut secundum arses dividamus: primum duae arses quatuor arsibus opponuntur. penthemimeres, tertiaria prima, tertiaria secunda. deinde tres arses tribus arsibus opponuntur: hephthemimeres, caesura media. Jam vero de singulis his incisionibus sigillatim agamus. primum de trochaïcis. deinde de iambicis. Caesuras trochaïcas senarii legitimas esse, omnes consentiunt.

1. Penthemimeres omnium notissima et usitatissima. prima dipodia in sequentem thesin transfertur. la lá la lá la



est incisio, quae versum adornat. primum quod posterioris membri magnitudinem auget, dein quod prius membrum fine trochaïco mitigat, denique quod alteri parti ascendenti alteram descendentem opponit.

2. Hephthemimeres secundum penthemimeren saepissime invenitur. partem priorem et ipsa leniorem proponit. alterum membrum iambico gradu incedere iubet, trochaïco alterum sed minus auribus placet, quod prius membrum maius quam posterius praebet.

Jambicas caesuras legitimas esse, plerique negant. nonnulli propterea, quod caesurae esse contendunt, rhythmum mutari. At pentametri caesura legitima rhythmum non mutat. neque incisio anapaestici dimetri. Quidni versus iambici iambica esse potest caesura? praesertim quum aures suavissime tangat.

3. tertiaria prima. versum in duo membra dividit, minus aequalia. primum thema proponit, deinde id et exponit et auget. membrum posterius bis prius amplitudine vincit. inde fit, ut versus gravissimus, quin etiam magnificentissimus fiat. Veluti Goethii:

„Wer seid denn ihr,	dass ihr des Königs Hochpallast
Mänadisch wild,	betrunknen gleich umtoben dürft,
Wer seid ihr denn,	dass ihr des Hauses Schaffnerin
Entgegenheulet?	

magna versus est vis propter iambicum gradum. nec raro in membro posteriore iambicae diaereses apparent. Quas tamen ne

voce designes. continuam enim partis posterioris magnitudinem audiri oportet. Simulatque diaeresis quartam post arsin et est et auditur, versus dilaceratur. eo enim tres partes exsistunt, sibi prorsus cum amplitudine tum accentu aequales. id quod summo opere aures offendit. Omnino autem haec caesura, quam tertiariam primam vocamus, non modo bene auditur, verum etiam apud poëtas invenitur. rarius quidem quam incisiones trochaïcae. tamen et a poëtis tragicis et a comicis usurpatur. ergo senarii (Graeci) caesuram legitimam eam esse censemus

4. caesura media. hanc incisionem omnes viri docti refellunt. Porsonus, Hermannus, Rossbachius. praecipue quod versum duas in partes aequales distribuat. sed non iustis de causis. primum enim legem ignoro, quae, versum duas in partes aequales distribui vetet. nonnulli versus id potissimum spectant, ut aequalia duo membra audiantur. veluti tetrameter trochaïcus, dimeter anapaesticus, pentameter dactylicus. Ceterum si in trimetro iambico caesura est media, duae partes non aequales exsistunt. ictu enim differunt.

⏑ – ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ – ⏑ –

quae quidem differentia gravissima est. Maximo autem opere caveas, ne ita legas ut versus Alexandrinus exsistat. Versus Alexandrinus non trimeter iambicus est sed tetrameter, id quod Lehrsius v. cl. in praefatione ad Meissneri dissertationes metricas a. 1850 editas, paucis iam monstravit. eius et indoles et accentus cum senario nihil conveniunt. ecce haec eius forma

⏑ – ⏑ – ⏑ – | … | ⏑ – ⏑ – ⏑ – | … |

vel ut accuratius monstremus,



hi versus sunt Alexandrini

„O Meer verliehst du nicht … den brennendrothen Saft …

„Den heil'gen Purpur, draus … man Kön'gen Mäntel schafft …

„O finstres Meer lag nicht 𝄾 𝄽 in deiner grauen Fluth 𝄾 𝄽
„Die dunkle Röthe, die 𝄾 𝄽 mit königlicher Gluth 𝄾 𝄽
Umfloss den Heldenleib von Cyrus?

hi contra iambici trimetri:

„Nein, so geschwind ist nicht der Schiffsgeschwader Fahrt
„Und Landung, nicht der Taue sich'rer Halt so schnell
An's Land zu bringen.

Jambicus trimeter media caesura in duas aequales partes non distribuitur. ergo varietate non caret. Bene potius auditur. deinde significandis et sententiae et animi affectioni inservit. Sententiae, — quando alterum eius membrum alteri aut opponitur aut certe respondet; animi affectioni — ubi aut alacritatem aut gravitatem designat. veluti hoc in senario sententiae inservit:

„Es stirbt der Erde Saft | Es stirbt mein Körper auch.

vel:

„Nach Gottes Rathschluss du; | nach eignem aber ich.

hic alacritati:

— gleich der Kraniche
„lautheiserklingendem Zug, | der über unserm Haupt…

hic gravitati:

„Und voll Mühseligkeit | ging dann ihr Zug durch's Land
der Thracier.

Alacritas eo exsistit, quod purum iambum audimus. deinde quod in senarii quinta syllaba quiescere solemus. media caesura vetat, vocem mitigari. eam progredi jubet. gravitas inde fit, quod complures syllabae longae tertiam arsin coniunctae praecedunt. Magna igitur varietate est media caesura. — Usurpatur autem et a poëtis tragicis et a comicis. saepenumero nec semper certo consilio. Usurpabatur, quod non displicebat. propterea autem quod et a veteribus usurpatur et bene auditur, caesuram mediam senarii legitimam esse, censemus.

5. tertiaria secunda. idem ius et tertiaria prima habere videtur. in eadem enim membra senarium distribuit. attamen aliter iudicanda est. nam versus tertiaria prima affecti non

propterea placent, quod et minus et maius membrum praebent, sed quod membrum minus: maius graviusque antecedit. versa vice tertiaria secunda primum maius proponit; deinde minus. eo versus vim et gravitatem confringit. si primum rem amplificatam videmus, deinde eandem vi privatam et nudam, non delectamur. inde fit, ut tertiaria secunda aut offendat aut certe displiceat. a poëtis tragicis omnino non usurpatur. a comicis usurpatur. ergo eam non senarii, sed senarii comici caesuram legitimam esse, censemus.

De his quinque caesuris iam satis. relinquitur, ut de tertiaria duplici paucula addam. Tertiaria duplex per se non est iusta caesura. versum dissecat, rhythmum frangit et delet. Tres partes dissectae, et vi et accentu aequales, aures offendunt. vox quietem non habet, aures varietatem non sentiunt. est — ut cum Porsono loquar — quasicaesura. apud poëtas tragicos non invenitur. apud comicos interdum occurrit. si vero occurrit, nec iure nec negligentia admissa esse videatur. verum potius significanter et certo consilio usurpata. usurpatur enim, ubi aut sententia aut loquentis affectio rhythmi leges contemnit. in vocando, in appellando, in enumerando; quando loquentis animus tam excitatur, ut extra modum vagetur. inde sequitur ut tertiaria duplex nec senarii omnino nec senarii comici caesura legitima habenda sit. Omnino non est caesura. nihil est nisi licentiae poëtarum comicorum exemplum. eadem enim libertate, qua comici versum incisione privarunt, eadem eum tertiaria duplici uti jussere.

Ecce haec sunt quae de senarii caesuris censemus. num recte censeamus, postea diiudicabis, si argumenta tentaris. Nitimur Aeschylo Sophocle Aristophane. quorum trium poëtarum omnes integras fabulas legimus. ex his omnia iambicarum caesurarum exempla collegimus; collecta praebemus. Aeschyli et Aristophanis fabulas secundum Teubneri editionem laudamus. Sophoclem secundum Brunckianam, a Bothio a. 1806 illustratam.

Quae senarii caesurae

apud

Aeschylum, Sophoclem, Aristophanem,

inveniantur.

Quae Senarii caesurae ab Aeschylo usurpentur.

Trochaïcae caesurae cum apud omnes tragoediarum auctores tum apud Aeschylum longe et gravissimae sunt et frequentissimae. Ut appareat, quanto caesuras iambicas superent numero, unius tragoediae exemplum praebemus. In Aeschyli Persis omnino 395 senarii aut penthemimeren aut hephthemimeren habent. 35 modo iambicis caesuris utuntur. Non quidem negamus, nonnullis in versibus non prorsus constare, utrum trochaïca an iambica insit caesura. tamen universe res ita se habet. Inde licet videre, trochaïcas incisiones ad tragoedias iambicis aptiores fuisse, et quod maiorem varietatem praebebant, et quod iamborum duritiam mitigabant. Quod ad earum singulas attinet, Penthemimeres apud Aeschylum saepius quam Hephthemimeres invenitur. Veluti ipsis in Persis Penthemimere 275 utuntur versus, Hephthemimere 120. De nonnullis quaestio esse potest. Universa tamen haec est conditio; et haec sibi constat. Inde sequitur (id quod aliis Aeschyli fabulis confirmatur), ut tragico versui penthemimeres gratissima fuerit. Quoad diaereses, rarissime trochaïca cum incisione merae trochaïcae conjunctae deprenduntur. Saepius, quum incisio aut Penthemimeres aut Hephthemimeres est, iambicae sunt diaereses omnes. Plerumque iambicae partim, partim trochaïcae.

Paucissimi igitur in Aeschyli fabulis tales versus leguntur qualis Choëph. 99.

δικοῦσα τεῦχος | ἀστρόφοισιν ὄμμασιν

⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ | –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́

aut Suppl. 448.

ἀλγεινὰ θυμοῦ | κάρτα κινητήρια
⏑ ″— ⏑ ´— — | ″— ⏑ ´— — ″— ⏑ ´—

aut Pers. 760.

μέγιστον ἀείμνηστον | οἷον οὐδέπω
⏑ ″— ⏑ ´— — ″— ⏑ | ´— ⏑ ″— ⏑ ´—

Saepius contra ubi caesura trochaïca est, diaereses iambicae. veluti:

Prometh. 207.

ἀτιμάσαντες | καρτεροῖς φρονήμασιν
⏑ ″— ⏑ ´— ⏑ | ″— ⏑ ´— ⏑ ″— ⏑ ´—

aut Sept. c. Th. 28.

λέγει μεγίστην | προςβολὴν Ἀχαΐδα
⏑ ″— ⏑ ´— — | ″— ⏑ ´— ⏑ ″— ⏑ ´—

ibidem 816. 817.

δισσὼ στρατηγὼ | διέλαχον σφυρηλάτῳ
Σκύθῃ σιδήρῳ | κτημάτων παμπησίαν.
⏑ ″— ⏑ ´— — | ″— ⏑ ´— — ″— ⏑ ´—

aut Agam. 301. 302.

φρουρὰ προσαιθρίζουσα | πόμπιμον φλόγα
λίμνην δ' ὑπὲρ Γοργῶπιν | ἔσκηψεν φάος.

ibidem 329.

δέρης ἀποιμώζουσι | φιλτάτων μόρον.

ibidem 344.

κάμψαι διαύλου | θάτερον κῶλον πάλιν.

Eumen 628.

τόξοις ἑκηβόλοισιν, | ὥστ' Ἀμαζόνος,

Plerumque trochaïcâ cum caesurâ partim iambicae diaereses coniunctae sunt partim trochaïcae. veluti: Choëph. 268.

θανόντας ἐν κηκῖδι | πισσήρει φλογός
⏑ ″— ⏑ ´— — ″— ⏑ | ´— — ″— ⏑ ´—

ibidem 226. 227.

κουρὰν δ' ἰδοῦσα τήνδε | κηδείου τριχὸς
ἰχνοσκοποῦσά τ' | ἐν στίβοισι τοῖς ἐμοῖς;

Agam 264. sqq.

ἐνάγγελος μὲν, | ὥσπερ ἡ παροιμία,
ἕως γένοιτο μητρὸς | εὐφρόνης παρα.
πένσει δὲ χάρμα | μεῖζον ἐλπίδος κλύειν·
Πριάμου γὰρ ᾑρήκασιν | Ἀργεῖοι πόλιν.
πῶς φῄς; πέφευγε τοὔπος | ἐξ ἀπιστίας.
Τροίαν Ἀχαιῶν οὖσαν· | ἦ τορως λέγω;
χαρά μ' ὑφέρπει | δάκρυον ἐκκαλουμένη.

Prometh. 88. sqq.

ὦ δῖος αἰθὴρ | καὶ ταχύπτεροι πνοὰι,
ποταμῶν τε πηγαὶ | ποντίων τε κυμάτων
ἀνήριθμον γέλασμα, | παμμῆτόρ τε γῆ,
καὶ τὸν πανόπτην | κύκλον ἡλίου καλῶ·
ἴδεσθέ μ' οἷα | πρὸς θεῶν πασχω θεός.

Haec autem hactenus. Quum enim duae incisiones trochaïcae non in dubium vocentur, ne plura dicamus.

Contra, quae de iambicis senarii caesuris supra exposuimus, vocantur in dubium. Propterea probari ea oportet. Contendimus, non trochaïcas modo incisiones senarii legitimas esse, verum iambicas etiam. Apud tragicos poëtas duas: caesuram mediam et primam tertiariam. Quas prorsus non illicitas esse, supra „a priori", ut aiunt philosophi, demonstravimus Jam vero quae „a priori" monstrata sunt, „a posteriori" probanda. Tamdiu enim addubitabuntur, usquedum exemplis probatum fuerit, revera Aeschylum versus iambicis incisionibus composuisse.

De tertiaria prima primum agamus, deinde de caesura media. Ubique eandem viam ita tenentes, ut omnes versus, qui ad rem conferant, in tres ordines distribuamus. Primus eorum sit ordo, qui caesuram prorsus non habeant, nisi iambicam unam. Hi gravissimum argumentum opinioni nostrae praebebunt. Secundum in ordinem referamus, in quibus quaeratur, utra caesura iambica insit. Tertii ordinis erunt, qui quaestionem admiserint, utrum trochaïca an iambica incisione utantur.

Agedum de tertiaria prima agamus.

in qua quidem unum modo versum habemus, qui ad ordinem primum pertineat.

Pers. 501.

στρατὸς περᾷ | κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον

Huius versus aut omnino non est caesura, aut prima tertiaria. Quisnam ubi aliam inveniat? Si ullus senarius, tertiariam primam legitimam esse probat, hic probat. Propterea autem quod tam id luculenter demonstrat, Porsono displicuit. Ideoque Porsonus, vir clarissimus, verborum ordinem mutat:*)

κρυσταλλοπῆγα | διὰ πόρον στρατὸς περᾷ

Profecto si verborum ordinem perturbari liceret, omnia probaremus, quaecunque vellemus. Talia arbitria potius sunt quam argumenta. Aliquid tamen hac ex Porsoni coniectura redundat. Licet enim videre, quam facile Aeschylus caesuram hanc addubitatam vitasset, dummodo voluisset. Quidni ita scripsit, ut Porsonus eum scribere iubet? Nonne versus et idem et iisdem verbis dicit? Cur tandem, si tertiaria prima illicita erat, cur eam scribebat? — Itaque id ipsum, quo Porsonus argumentum evellit, argumentum confirmat. Godofredus Hermannus vitiosum senarium hunc Aeschyli vocat (minus quidem vitiosum quam alium, vitiosum tamen) **). Quid? Quonam iure versus a veteribus iisque clarissimis scriptos vitiosos adpellas? Unde tandem, qui versus iusti sint, qui vitiosi cognoscis? Iudicium de versu non ex aliqua theoria sumendum erit, sed ex ipsis poëtis. Non theoria poëtas corrigere debet, sed theoriam poëtae. — Eoque Aeschylum tertiariam primam non illicitam habuisse iam constat. Sunt qui opinentur poëtam

στρατὸς περᾷ | κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον

non nisi certo consilio et significanter scripsisse. Hoc non prorsus negamus. iam enim supra ostendimus, omnes versus tertiaria prima affectos vim quandam et gravitatem habere. Thesis proponitur ⏑ –̋ ⏑ –́ | deinde amplificatur. ⏑ –̋ ⏑ –́ ⏑ –̋ ⏑ –́ Fit eo acrior versus. Quod incisio est iambica, exsistit alacritas. Quod pars altera alteram vi vincit, maiestas. — Acce-

*) Porson. praef. ad Hekubam p. XXIX.

**) Herm. elementa doctr. metr. II, 14. 8. p. 113.

dit quod unum vocabulum *κρυσταλλόπηγα* duos integros pedes et amplius complet. — At ne forte credas, poëtam primam tertiariam, per se vitiosam, ad depingendum adhibuisse. Minime. Verum potius quando poscit sententia, caesuram trochaïcam, quando poscit caesuram iambicam affert. Non ita, ut aut hac incisione aut illa novi quid et inauditi depingere velit. Sed secundum sententiarum processum modo hanc modo illam usurpat.

Iam vero ad aliam senariorum classem transimus. in quibus quidem quaeratur utra iambica caesura insit, utrum tertiaria prima an media. Sunt autem non minoris momenti, propterea quod summa quaestionis nostrae in eo versatur, ut omnino caesuras iambicas vindicemus. Si solam tertiariam primam respiceremus, parum certe hac ex classe ad nos redundaret. — Ut de hoc vel de illo horum senariorum dissentias, — quid est? Si contenderis, tertium subsistendum esse post pedem, caesuram mediam habebis. si post primam iambicam dipodiam incideris, tertiaria prima exsistet. nil relinquetur, nisi ut iambicam incisionem diu addubitatam admittas.

Pers. 179.

ἀλλ' οὔτι πω | τοιόνδ' ἐναργὲς εἰδόμην

Multis se iam somniis affectam fuisse, dicit Atossa, ex quo tempore filius in Graeciam abierit. *ἀλλ' οὔτι πω — τοιόνδ' ἐναργὲς εἰδόμην* inquit, *ὡς τῆς πάροιθεν εὐφρόνης. λέξω δέ σοι.* Voces *τοιόνδ' ἐναργὲς* non modo invicem, sed etiam cum sequentibus arcte cohaerent. Qui post *τοιόνδ'* incisionem facere velit, sententiam disiiciat. Si versum audimus:

Doch nimmer noch | so deutlich als vergangne Nacht.

Num post particulam „so“ incidamus? Histrio dubio procul non ita loquatur. Ceterum etiamsi post *τοιόνδ'* substiteris, emolumenti nil capies. Quum enim tertiariam primam effugere studeas, caesuram mediam invenis.

Pers. 352.

ἦ παῖς ἐμὸς, | πλήθει καταυχήσας νεῶν;

Atossa quaerit ex nuntio, quis proelium commiserit; utrum Graeci an παῖς ἐμὸς, πλήθει καταυχήσας νεῶν. Vocabulum πλήθει minoris momenti est. Opponuntur Graeci et filius. Haec omnia: πλήθει καταυχήσας νεῶν ad filium describendum et adornandum apposita sunt. Quae quum ita sint, — vix reperi versum, qui indole sua tertiariae primae naturae tam bene responderit. Primum thema; res quae agitur ipsa· ⏑ ″— ⏑ ′— | ἢ παῖς ἐμὸς; dein thematis expositio et amplificatio: ⏑ ″— ⏑ ′— ⏑ ″— ⏑ ′—. idem rhythmus, sed duplex. idem iste est filius, πλήθει καταυχήσας νεῶν, sed auctus et epitheto coornatus. — Hunc versum post πλήθει nemo dividet. Nam si diviserit, iambicam incisionem non vitabit, sententiam cum rhythmo dilacerabit.

Pers. 807.

οὗ σφιν κακῶν | ὕψιστ᾽ ἐπαμμένει παθεῖν,

Ne tres meri iambi ex ordine aures concutiant, post κακῶν caesuram facere malim. Si vero quis est, qui incisionem mediam esse putarit, convincere nequeo. Hoc est certissimum, nec Penthemimeren neque Hephthemimeren esse.

Pers. 251.

ὡς ἐν μιᾷ | πληγῇ κατέφθαρται πολύς.

Hunc senarium similiter iudicamus et illum. Accedit, quod oppositio quasi quaedam exsistit:

ὡς ἐν μιᾷ | πληγῇ κατέφθαρται πολὺς ‖ ὄλβος

vocabulum πληγῇ sic in initio membri, vocabulum ὄλβος in initio versus apparet. Rossbachius in libro supra laudato *) hunc versum ita disponit:

ὡς ἐν μιᾷ — πληγῇ — κατέφθαρται πολύς.

Quam universam incidendi rationem supra refellimus. Duae unius senarii caesurae, quid est? Oculis est aliquid, auribus nihil. Qui in tam brevi versu bis voce subsistere audet, aures offendit. At subsisti non potest. nam si subsistatur, et sic subsistatur, ut vox πληγῇ et ab antecedentibus

*) Griechische Metrik. 1856. p. 187.

et a sequentibus separetur, versus desinat esse. Ergo haec dispositio

ὡς ἐν μιᾷ — πληγῇ — κατέφθαρται πολὺς

cerni potest, non legi. — Aut est caesura media aut prima tertiaria. Nec utrumque nec aliud.

Prom. 640.

οὐκ οἶδ᾽ ὅπως | ὑμῖν ἀπιστῆσαί με χρή,

Summa continetur verbis: ὑμῖν ἀπιστεῖν με χρή. voces οὐκ οἶδ᾽ ὅπως per se respiciendae sunt. Si post ὑμῖν incisionem facis, sententiam mutas. Tum enim ita eam spectare videris: οὐκ οἶδα, ὅπως ὑμῖν χρὴ ἀπιστεῖν με. Contra post ὅπως si nobiscum sistis, tria haec οὐκ οἶδ᾽ ὅπως, adverbii loco posita, ab enuntiato iure separas.

Prometh. 770.

οὐ δῆτα πλὴν | ἐὰν ἐγὼ ᾽κ δεσμῶν λυθῶ.

Vix erit, qui ita hunc versum legere voluerit:

οὐ δῆτα πλὴν | ἐὰν ἐγὼ ᾽κ | δεσμῶν λυθῶ.

Cur enim, nulla necessitate, versum vexare? deinde quaeritur, utrum post πλὴν an post ἐὰν incidendum sit. Jo postquam ita locuta est: οὐδ᾽ ἔστιν αὐτῷ τῆσδ᾽ ἀποστροφὴ τύχης; respondet Prometheus οὐ δῆτα πλὴν — ἐὰν ἐγὼ ᾽κ δεσμῶν λυθῶ. Primum negat Prometheus, dein exceptionem addit, voce subsistit, tum demum qualis exceptio sit nuntiat. Ita si legis, particula πλὴν maiore ictu afficitur. Intendit quodammodo audientium animos. Coniunctio ἐὰν propria vi caret, cum verbo λυθῶ potius cohaeret. ideoque ante incisionem non apte audiatur. — At etsi quis post ἐὰν incidit, iambica caesura remanet. Quid valet, utrum media sit an prima tertiaria?

Suppl. 931.

καὶ γὰρ πρέπει | κήρυκ᾽ ἀπαγγέλλειν τορῶς.

verbum πρέπει ab Aeschylo non cum dativo sed cum accusativo et infinito coniunctum videtur esse. Nam, quamquam non constat, utrum in hoc versu „α" an „ι" intelligatur, ex analogia concludi licebit. Scribit Aeschylus eadem in fabula:

195. ξένους ἀμείβεσθ᾽ ὡς ἐπήλυδας πρέπει. et ibidem: 203. θρασυστομεῖν γὰρ οὐ πρέπει τοὺς ἥσσονας. inde concludam eum hoc etiam in versu κήρυκα non κήρυκι intellexisse. Quodsi recte conclusi, vocabulum κήρυκ᾽ cum infinito potius quam cum verbo πρέπει iungendum erit. Accedit quod verbum πρέπει maiorem vim et gravitatem quam κήρυκα habet. sententia non est: „etiam κήρυκα decet, omnia accurate nuntiare.“ sed est: „accurate nuntiabo, nam decet quoque, ita κήρυκα agere.“

Choëph. 1.

Ἑρμῆ χθόνιε, | πατρῷ᾽ ἐποπτεύων κράτη,

Accentus non est in voce „πατρῷα.“ Orestes alloquitur Hermen. primum eum adpellat, deinde epithetis eius nomen exornat.

Ἑρμῆ χθόνιε, | πατρῷ᾽ ἐποπτεύων κράτη,
σωτὴρ γενοῦ μοι ξύμμαχός τ᾽ αἰτουμένῳ.

Talis autem sententiae structura tertiariae primae structurae respondet. Ut supra iam ad Pers. 352. adnotavimus. thesis ⏑ –̋ ⏑ –́, et amplificatio: ⏑ –̋ ⏑ –́ ⏑ –̋ ⏑ –́. Eodem modo thesis „Ἑρμῆ χθόνιε“; deinde amplificatio: „πατρῷ᾽ ἐποπτεύων κράτη.“ — Quid enim est hoc ⏑ –̋ ⏑ –́ ⏑ –̋ ⏑ –́ nisi eadem thesis adaucta? Et quid est hoc: πατρῷ᾽ ἐποπτεύων κράτη nisi eadem notio, quae antecedit (χθόνιε), adaucta? Nonne et sententia et rhythmus bene sibi respondent? Ceterum si tamen post πατρῷα subsistere malis, quid eo assequeris? Tertiariam primam vitas, caesuram mediam non vitas.

Eumen. 444

τῶν σῶν ἐπῶν | μέλημ᾽ ἀφαιρήσω μέγα

Ut eluceat, qua de causa ita legamus, sententiam integram proponamus. Dicit Orestes:

ἄνασσ᾽ Ἀθάνα, πρῶτον ἐκ τῶν ὑστάτων
τῶν σῶν ἐπῶν | μέλημ᾽ ἀφαιρήσω μέγα.

Primum propterea iam ante vocem μέλημ᾽ subsistamus, quod tres meri iambi durius nos tangant. deinde quia, quae

fecerimus membra, ex animo poëtae facta esse putamus. Verba *τῶν σῶν ἐπῶν* sententiae prius membrum concludunt. ergo cum antecedentibus (*ἐκ τῶν ὑστάτων*) coniungenda sunt. Membrum alterum ex verbo finito et ex duobus accusativis consistit.

Sept. c. Th. 252.

οὐκ ἐς φθόρον | σιγῶσ' ἀνασχήσει τάδε;

Si hoc in versu caesuram mediam inesse contendis, verba *οὐκ ἐς φθόρον σιγῶσ'* ita coniungis, ut unam notionem efficiant. Quum autem hoc „*ἐς φθόρον*“ ad verbum finitum non minus quam ad participium pertineat, post *φθόρον* subsistamus.

Sept. c. Th. 410.

τιμῶντα καὶ | στυγοῦνθ' ὑπέρφρονας λόγους.

Erunt fortasse, qui mirentur, quidni post *στυγοῦνθ'* incidamus. Sed simulatque contextum inspexerint, spero meam eos lectionem accepturos esse. Sic enim legitur:

τόνδ' ἐντιτάξω προστάτην πυλωμάτων
μάλ' εὐγενῆ τε, καὶ τὸν αἰσχύνης θρόνον
τιμῶντα καὶ | στυγοῦνθ' ὑπέρφρονας λόγους.

Ita sensus servatur. Ita duo membra separata separatim cernuntur: *τὸν αἰσχύνης θρόνον τιμῶντα — στυγοῦνθ' ὑπέρφρονας λόγους.* Si post verbum *στυγοῦνθ'* incidimus, species exsistit ac si duo contraria verba ad alterutrum substantivum pertineant. Quid hoc est: *τὸν αἰσχύνης θρόνον τιμῶντα καὶ στυγοῦνθ'*. Nihil est.

Suppl. 368.

ἐγὼ δ' ἂν οὐ | κραίνοιμ' ὑπόσχεσιν πάρος.

Huius quoque versus incisio per contextum probatur.

ἐγὼ δ' ἂν οὐ | κραίνοιμ' ὑπόσχεσιν πάρος,
ἀστοῖς δὲ πᾶσι | τῶνδε κοινώσας πέρι.

Rex se ipsum per se secundum promissa non acturum esse pronuntiat Cives potius certiores antea esse facturum. Itaque et rex et cives respondent. Ceterum si post *κραίνοιμ'* subsistere malis, subsistas. Sententiae structuram non plane tenebis, iambicam caesuram tenebis.

Agam. 20.

νῦν δ' εὐτυχὴς | γένοιτ' ἀπαλλαγὴ πόνων,

Hic versus per se caesuram mediam non minus quam tertiariam primam habere possit. eodem enim jure, quo post εὐτυχὴς incisionem statuimus, licet post „γένοιτ'" subsisti. Contextus tamen nostram lectionem defendit. Ita enim loquitur φύλαξ:

κλάω τότ' οἴκου τοῦδε συμφορὰν στένων
οὐχ ὡς τὰ πρόσθ' ἄριστα διαπονουμένου.
νῦν δ' εὐτυχὴς | γένοιτ' ἀπαλλαγὴ πόνων, —

Felix laborum finis et praeteritus dolor opponuntur. In adiectivo εὐτυχὴς ictus est. ideo vox ibi surgere debet.

Choëph. 258.

οὔτ' ἀετοῦ | γένεθλ' ἀποφθείρας, πάλιν
πέμπειν ἔχοις ἂν σήματ' εὐπιθῆ βροτοῖς.

„Aquilae si perdere vis stirpem, non habebis alites quas ad homines mittas."

Non quidem negamus, posse fieri, ut et hoc in versu et in ceteris caesura media legatur. sed utracunque legitur, iambica manet. Ea autem res maximi est momenti. Constat enim, decem quatuor senarios ab Aeschylo ita compositos esse, ut tertiariam primam aut — si non tertiariam primam — caesuram mediam haberent. Quid ii, qui iambicas caesuras illicitas esse contendant, hoc contra argumentum proponunt? Praeterea omnia exempla nondum attulimus. Postea, quando de ipsa caesura media agemus, plura sequentur.

Relinquitur ut eos senarios spectemus, qui quidem tertiaria prima utantur, sed ita utantur, ut trochaïcae caesurae speciem non omnino refellant.

Pers. 402.

πολλὴν βοὴν· | „ὦ παῖδες Ἑλλήνων ἴτε."

antecedunt haec verba: καὶ παρῆν ὁμοῦ κλύειν, ad quae πολλὴν βοὴν pertinent. Post βοὴν novi aliquid incipit, vox surgere debet.

——————— zu hören war
ein laut Geschrei: | „ihr Söhne der Hellenen, auf!

„ὦ παῖδες Ἑλλήνων ἴτε" haec sunt militum in proelium euntium, non nuntii narrantis. Quodsi post, „παῖδες" incidimus, species exsistit, ac si nuntius omnia referat. Voce etiam discernamus necesse inter verba referentia et inter verba relata. Accedit quod qui sequitur versus et ipse iambica incisione affectus est:

——————— καὶ παρῆν ὁμοῦ κλύειν
πολλὴν βοήν· | ὦ παῖδες Ἑλλήνων ἴτε,
ἐλευθεροῦτε πατρίδ' | ἐλευθεροῦτε δὲ
παῖδας, ——

unde alacriorem totius loci numerum esse elucet. Oculis sane utraque caesura, et tertiaria prima et Hephthemimeres esse posse videtur. Auribus una.

Pers. 619.

ἀλλ' ὦ φίλοι, | χοαῖσι ταῖσδε νερτέρων

Per se post χοαῖσι etiam versus incidi possit. Et erunt profecto, qui ita concludant: „et post φίλοι et post χοαῖσι caesuram constitui licet. Caesura quae est post φίλοι est aut illicita aut certe minus probanda. contra quae est post χοαῖσι est usitatissima. ergo ea tenenda." Haec tamen ratio caesuras diiudicandi summo opere displicet. Propterea quod non ad internam versus structuram sed ad externum habitum pertinet. Id potius nos studere oportet, ut diiudicemus, quibus ex membris poëta versum construxerit. Quod ut cognoscamus, contextum consulimus. Ita Aeschylus scripsit:

ἀλλ', ὦ φίλοι, | χοαῖσι ταῖσδε νερτέρων
ὕμνους ἐπευφημεῖτε, τὸν δὲ δαίμονα
Δαρεῖον ἀγκαλεῖσθε, ———————

Primum Atossa amicos alloquitur. ἀλλ' ὦ φίλοι deinde ad unam rem eos compellit: χοαῖσι ταῖσδε νερτέρων ὕμνους ἐπευφημεῖτε. deinde ad aliam: τὸν δὲ δαίμονα Δαρεῖον ἀγκαλεῖσθε. Allocutio igitur simul ad utramque exhortationem pertinet. Utraque autem parem numerum habet. Utraque ita finitur ut Hephthemimeres exsistat. Ideoque sic versus poëtam cogitasse censemus, ut duo membra aequalia aequaliter ad allocutionem referret.

Prom. 41.

οἷόν τε πῶς, | οὐ τοῦτο δειμαίνεις πλέον;

Interpunctio nos non commovet, ut huius versus caesuram tertiariam primam esse putemus. saepenumero enim interpunctio alio cernitur loco, alio caesura. eoque per se nil impedit, quin ita legamus:

οἷόν τε πῶς; οὐ τοῦτο | δειμαίνεις πλέον;

Non tamen solum hunc versum et e contextu ereptum spectamus. Verum potius hic est sententiarum connexus:

σύμφημ'. ἀνηκουστεῖν δὲ τῶν πατρὸς λόγων
οἷόν τε πῶς; | οὐ τοῦτο δειμαίνεις πλέον;

duae quaestiones sibi respondent. duae pari momento. Nonne quae per se separata sunt ea incisione sunt separanda? Praeterea vocabula: *οἷόν τε πῶς;* non propriam quaestionem includunt. verum potius omni antecedentium verborum gravitate completa sunt. Itaque ultra tam fortis quaestionis finem ne minus caute procedas. Si primam dipodiam integra sententia teneret, aliter iudicaremus. Veluti Prom. 46. non tertiariam primam, sed trochaïcam caesuram videmus. ibi enim auditur:

τί νιν στυγεῖς; πόνων γὰρ | „ὡς ἁπλῷ λόγῳ,
τῶν νῦν παρόντων | οὐδὲν αἰτία τέχνη.

Prom. 797.

ἀκτῖσιν οὔθ' | ἡ νύκτερος μήνη ποτέ.

Aut post *οὔθ'* subsistendum erit aut post articulum *ἡ* aut post *νύκτερος*. Si constaret, tertiariam secundam legitimam incisionem esse, post *νύκτερος* incideremus. Quod quum non constet, nihil relinquitur nisi aut ut articulum a substantivo rapiamus, aut ut post *οὔθ'* subsistamus. Omnino articulum caesura a substantivo separari posse fatemur. Non tamen nisi necessitas urgeat. Tam arcte enim cum substantivo cohaeret, ut per se nec propriam vim habeat, nec plerumque accentum. Accedit quod vox quae antecedit caesuram maiorem ictum recipit. Quem ictum articulus, praesertim quum accentu careat, perferre non potest. — Senarios huiusmodi ne nobis obiicias:

ἄγγελλε τοῖσι | κυρίοισι δωμάτων. (Coëph. 658.)

Primum enim hic post articulum incidere cogimur. Deinde articulus ipse non modo accentûs est compos, verum etiam adauctus. —

Quibus causis commoti in senario supra proposito tertiariam primam inesse censemus. Id eo etiam firmatur quod versus praecedens post eandem particulam incisus videtur esse.

μονόδοντες, ἃς οὔθ' | ἥλιος προςδέρκεται
ἀκτῖσιν οὔθ' | ἡ νύκτερος μήνη ποτέ.

Ita ut particulae οὔθ' — οὔθ' sibi respondentes, per incisionem maius pondus accipiant.

Prom. 835.

——————— ἡ Διὸς κλεινὴ δάμαρ
μέλλουσ' ἔσεσθ', | εἰ τῶνδε προςσαίνει σέ τι.

Recte versus membra disposuisse nos nos putamus ita si legimus. Si quidem τῶνδε maiorem ictum non poscit.

Prom. 1022.

———————————— Διὸς δέ τοι
πτηνὸς κύων | δαφοινὸς αἰετὸς λάβρως

Post κύων, non post δαφοινὸς subsistendum esse opinor. nam si Hephthemimeren statuis, adiectum δαφοινός non ad suum substantivum sed ad alienum refertur.

Sept. c. Theb. 8.

οἰμώγμασιν θ' | ὧν Ζεὺς ἀλεξητήριος

Tres incisiones esse possint. Tertiaria prima ad sententiae structuram maxime accommodata esse videatur. Sic enim legitur:

Ἐτεοκλέης ἂν εἷς πολὺς κατὰ πτόλιν
ὑμνοῖ θ' ὑπ' ἀστῶν φροιμίοις πολυρρόθοις
οἰμώγμασίν θ', | ὧν Ζεὺς ἀλεξητήριος
ἐπώνυμος γένοιτο Καδμείων πόλει.

„ὧν Ζεὺς ἀλεξητήριος" haec verba, quum et secum et cum sequentibus arcte cohaereant, pro uno membro habenda sunt. Vox οἰμώγμασιν autem ad versum antecedentem pertinet. Itaque duo membra primam post dipodiam concurrunt.

Choëph. 481.

κἀγώ, πάτερ, | τοιάνδε σου χρείαν ἔχω
φυγεῖν μέγαν προσθεῖσαν Αἰγίσθῳ μόρον.

Caesuram post *τοιάνδε* esse, negamus. Encliticae enim per se nec propriam vim neque accentum habent. Eoque eas neve in communi sermone neve in versibus a vocibus quae antecedant separes. Deinde post encliticam ne forte subsistas. Quandoquidem eo et sententiae nexus et rhythmus deletur. *τοιάνδε σου χρείαν* haec tria cohaerent, ita ut vox in nullo remaneat, verum citius ad finem contendat.

Choëph. 573.

ἢ καὶ μολὼν | ἔπειτά μοι κατὰ στόμα,

Similiter iudicandus est versus. Post *ἔπειτα* propter encliticam ne subsistamus. Post *μοί* cur incidendum sit, non videmus. Restat prima tertiaria.

Choëph. 985.

———————————— *ὡς ἴδῃ πατὴρ,*
οὐχ οὑμὸς, ἀλλ' | ὁ πάντ' ἐποπτεύων τάδε
Ἥλιος, ————

Haec quatuor verba: *ὁ πάντ' ἐποπτεύων τάδε* unam modo notionem, unum attributum, unum membrum conficiunt. Est epitheton perpetuum Solis, et quod non duas sed unam virtutem significet. Vox in legendis singulis epitheti verbis non moratur. ultra ea ad substantivum confugit. Contra post particulam *ἀλλ'* non invita moratur, surgit, ad Solem epitheto coornatum contendit.

Choëph. 1023.

ἐξωτέρω· | φέρουσι γὰρ νικώμενον

Oculi, tres incisiones admitti, putabunt. Non tamen aures. Quamquam enim interpunctio caesuram non poscit, aliam vix feras nisi primam tertiariam.

Haec est sententia:

ὥσπερ ξὺν ἵπποις ἡνιοστροφῶ δρόμου
ἐξωτέρω. | φέρουσι γὰρ νικώμενον
φρένες δύσαρκτοι· ————

In verbo *φέρουσι* ictus non est, ergo post id non caesura. Deinde *γὰρ* particula ad antecedens refertur, ita ut non facile separem. Post autem eam incidere nolumus. nam cur frustra versum dilaceremus? Accedit quod medio in versu 1023

duo membra concurrunt. Alterum priore senario conspicuum, alterum ad ea quae sequuntur protractum. Talia ubi membra concurrunt, ibi caesura.

Sept. c. Th. 39.

Ἐτεόκλεες, | φέριστε Καδμείων ἄναξ,

nuntius Eteoclem non alloquitur: *Ἐτεόκλεες φέριστε.* Sed primum nomen profert, deinde epitheton. Histrionem certe ita locutum esse censemus, quemadmodum nos versum distribuamus.

Suppl. 400.

——————————— *μὴ καὶ ποτὲ*
εἴπῃ λεώς, | εἴ πού τι μὴ τοῖον τύχοι,
„ἐπήλυδας τιμῶν | ἀπώλεσας πόλιν.“

verba: *‚εἴ πού τι μὴ τοῖον τύχοι‘* manifesto sententiae processum interrumpunt, sunt quodammodo uncis inclusa. Propterea ea uno tenore legi et ab antecedentibus non minus quam a sequentibus separari oportet. Est *παρένθεσις*, quam Graeci adpellant Cuius indoles et natura deletur, si cum continua oratione confunditur. Poëta certe dubio procul ita versus membra composuit, ut tertiaria prima caesura esset.

Prometh. 667.

κεἰ μὴ θέλοι, | πυρωπὸν ἐκ Διὸς μολεῖν
κεραυνὸν ὃς πᾶν ἐξαϊστώσοι γένος.

Si accusativus cum infinito a verbo „*θέλοι*“ penderet, post *πυρωπὸν* incideremus. ita ut sensus exsisteret: „„etsi noluerit, fulmen coruscans a Jove iaci........““ Nunc vero haec est sententia: „„oraculum datum est Inacho, ut me exulem faceret. quod si noluisset, fulmen coruscans a Jove iactum, omnem ejus gentem perditurum esse.““ Accusativus cum infinito pendet a vocibus: „*βάξις σαφῶς ἐπισκήπτουσα καὶ μυθουμένη*“. Duas autem res oraculum iubet et nuntiat. primum: *ἔξω δόμων τε καὶ πάτρας ὠθεῖν ἐμέ.* Deinde, id si Inachus non fecisset, *πυρωπὸν ἐκ Διὸς μολεῖν κεραυνόν.* Profecto si histrio ita locutus esset:

κεἰ μὴ θέλοι, πυρωπὸν | ἐκ Διὸς μολεῖν

Athenienses aegre tulissent.

Ecce hos quatuordecim versus, qui quidem trochaïcae caesurae speciem non omnino refellant, revera tamen tertiaria prima utantur. Versa vice permulti senarii apud Aeschylum inveniuntur, qui tertiariam primam habere videantur, re tamen vera trochaïcam habeant. Quos omnes enumerare supersedemus. Pauca exempla sufficiant.

Prometh. 975.

ἁπλῷ λόγῳ, τοὺς πάντας | ἐχθαίρω θεούς.

Choëph. 8.

οὐ γὰρ παρὼν, ᾤμωξα | σὸν, πάτερ, μόρον.

Agam. 1389.

κἀκφυσιῶν ὀξεῖαν | αἵματος σφαγὴν.

Agam. 1443.

ἰσοτριβής· ἄτιμα δ' | οὐκ ἐπραξάτην

Choëph. 994.

τί σοι δοκεῖ; μύραινά γ' | εἴτ' ἔχιδν' ἔφυ,

Sept. c. Th. 270.

θάρσος φίλοις, λύουσα | πολεμίων φόβον

Prom. 342.

μηδὲν πόνει· μάτην γὰρ | οὐδὲν ὠφελῶν
ἐμοὶ πονήσεις, εἴ τι καὶ πονεῖν θέλεις.

Omnes hi versus multique alii, — si oculis caesura statuenda esset, tertiaria prima uti viderentur. Praesertim quum eorum magna pars primam post dipodiam interpungatur. Sed quoniam caesura ex interna versus structura et ex membrorum relatione originem trahit, res se aliter habet. Non ubicunque potest esse, est prima tertiaria. nec quod post dipodiam primam punctum cernitur, sequitur inde, ut ibidem incisio sit. In plurimis versibus tertiaria prima diaeresis est non caesura. Haec autem hactenus. De tertiaria prima iam satis. nam quae supra contendimus nunc probata habemus. Tertiariam primam apud Aeschylum legitimam incisionem esse.

Haec hactenus. Parva haec dissertationis particula sufficiat. Iam tempus impedit, quominus plura nunc typis excudantur. Spero fore, ut libellus integer mox in lucem prodeat. pauca haec, quae praebentur, pro specimine habeantur, unde totius dissertationis indoles cognoscatur.

Ut autem cum omnes, tum ii, qui adversariorum partes tueantur, libelli finem perspicere possint, ea brevissimis comprehendamus, quae ex integra quaestione sequantur.

1. Aeschylus et Sophocles in iambicis caesuris usurpandis hoc differunt:

Caesura media Aeschylus 76 omnino versus affecit, Sophocles 84. numerus versuum, qui hac cum caesura media nonnisi iambicas diaereses coniungunt, apud Aeschylum est: 15, apud Sophoclem 2. vel si nostris uti licet: „Bei Aeschylus gehören von den Versen mit caesura media zu den durch lauter iambische diaeresen ausgezeichneten zwanzig Prozent; bei Sophokles nur zwei und ein drittel Prozent.“ inde elucet, Aeschylum puro iambico rhythmo magis indulsisse quam Sophoclem

2. Aristophanes et poëtae tragici haec fere differunt:

a. Aristophanes et prima tertiaria et media caesura multo saepius quam poëtae tragici utitur.

b. Aeschylus et Sophocles utraque caesura iambica interdum certo consilio et significanter utuntur. Aristophanes minus.

c. tertiariam secundam poëtae tragici non admittunt. Aristophanes 81 omnino versus ea affecit. veluti av. 1023: *ἐς τὰς Νεφελοκοκκυγίας. | Ἐπίσκοπος;*

d. tertiariam duplicem poëtae tragici non usurpant, Aristophanes usurpat. 47 versus ea affecit. Affecit, ut sententiam dissectam et dilaniatam dilaniato et dissecto rhythmo significaret.

Omnino igitur Aristophanes caesuras iambicas magis amavit quam poëtae tragici; vel ut nostris utamur: „Er hat noch einmal so viel iambische Caesuren, als die Tragiker und gebraucht selbige dreimal so oft."

e. senarios caesura destitutos poëtae tragici non composuerunt, Aristophanes sex composuit eosque ut risum moveret. veluti: vesp. 220. „ἀρχαιομελισιδωνοφρυνιχήρατα".

f. quoad diaereses cum iambicis incisionibus coniungendas id differunt, quod poëtae tragici diaereses numquam omittunt, Aristophanes interdum prorsus omittit.

Omnino poëtae tragici senarium bene componere student; Aristophanis minus interest, ut versus bene audiatur, dummodo audientium animos tangat et moveat.

Ecce haec fere sunt, quae invenimus. simulatque integer libellus in lucem prodierit, et fusius exponentur et probabuntur.

Vita.

Natus sum ego Fridericus Reinholdus Eduardus Preuss anno MDCCCXXXIV Regiomonti Pr. Pater meus, orphanotrophii director, mortuus est, quum quatuor annos natus essem. Deinde collegii Fridericiani discipulus factus, ibi annos quinque, menses sex educabar; directore illustrissimo Gottholdo; postea Scholae Kniphofiensi adscriptus cum praeceptorum tum directoris illustrissimi Skrzeczka benevolentia duodeviginti menses fruebar. Hoc autem totum per tempus societas literarum et bonarum artium singulari munificentia me juvit ita ut literis operam securam navare possem. Cui quidem et universi societatae et eius antistiti Voigtio, v. cl., professori publico ordinario, gratissimo animo semper deditus ero.

Testimonium autem maturitatis adeptus, Academiae Albertinae inclutae civis factus sum, ubi unum annum philologiae et philosophiae operam dedi, tres annos theologiae. Quod ad philologiam attinet, Lehrsii et Lobeckii, virorum clarissimorum cum scholis tum seminario intereram, philosophiam a Rosenkranzio v. cl. discebam.

Praecipuo studio rem metricam investigabam; cuius quidem doctrinam novam mihi traditam cum gaudio accepi. — Magno opere doleo quod studiis humanioribus plus operae navare non potui. Theologiae autem studium, in quod prorsus iam incumbebam, totum animum meum omnesque vires

sibi adeo vindicavit, ut alia posthaberem. Theologiae magistrorum et scholis intereram et in seminariis sedebam. Sieffertus rem dogmaticam me docebat, Sommerus veteris testamenti interpretationem, novi testamenti Erdmannus; Jacobius et Erbkammius v. cl. historicam theologiam, practicam Cosackius, alii viri clarissimi et professores et privatim docentes me alia docebant. Ipsius autem theologiae nulli parti magis studebam, quam novi instrumenti interpretationi. Ceterum hoc totum per tempus praecipue familiae de Groeben nobilissimae benevolentia stipendio suo me adjuvabat, ita ut studiis totum me dedere possem. Quatuor ita annis consumtis Berolinum profectus, theologica studia mea continuavi. Berolini Lehnerdtus, v. cl, qui me puerum ad sacra admiserat consilio suo quoad studia me iuvit. Deinde Nitzschii, Lehnerdti, Straussii, virorum clarissimorum scholis intereram; in Twestenii, Hengstenbergii, Lehnerdti seminariis sedebam. Anno tali modo peracto, theologorum ordini Berolinensi summe venerando dissertationem obtuli „de evangelio secundum Hebraeos" scriptam. postea examine rigoroso tentatus, licentiati in s. s. theologia gradum accepi.

Magistris autem meis omnibus, et utriusque gymnasii et universitatis utriusque, clarissimis maximas gratias ago. Oro deum ut iis qui mihi salutem pararint, salutem rependat.

Jam vero in maiore quaestione theologica pertractanda versabar, quum repente ad studia philologica revocatus sum. unde factum est ut dissertationem de senarii Graeci caesuris componerem.

Spero fore, ut examine rigoroso rite absoluto et hac dissertatione publice defensa summi in philosophia honores in me conferantur.